

FRANCISCI

SANCTII BRO-

centis in incluta Salmanti-

censi Academia Rhetori-

tes, Græcæq; linguæ

Primarij Doctoris.

Inquietum est Cor n̄rum, donec veniat ad te,

IN ARTEM POETICAM

Horatij Annotationes.



SALMANTICÆ,

Apud Ioannem & Andream Re-
naut fratres. 1591.

Annotationes istae in Artem Poeticam Horatii quas composuit doctissimus vir Franciscus Sactius Brocentis quum nihil habeant bonis moribus aut fidei catholicae repugnans digna suo authore sunt, ut in lucem prodire permittatur quod fiet non sine magna utilitate legentium. Salmanticae in nostro collegio maiori Conchenfi. 4. die Septemb. Anno. 1591.

Doctor Gomez de Contreras.

EL Licenciado don Phelippe de Haro collegial del collegio mayor de Cuenca, y Promisor y Vicario general en todo el Obispado de Salamanca por D^o Hieronymo Manrique Obispo del dicho Obispado del Consejo del Rey nuestro señor, &c. Damos licencia a qualquier impressor de libros para que pueda imprimir esta obra, guardando las pragmaticas del Reyno, sin pena, atento que esta vista y examinada, y no contiene error alguno. Dada en Salamanca a cinco de Setiembre de 1591.

Licenciado don Phelippe de Haro.

DOMINO ANTONIO
Guevara Priori Sancti Michaelis de Scalada, Franciscus Sanctius
Brocentis. S. P. D.



VANVIS maioris esse diligentiae semper mihi persuaserim doctorum virorum scripta retexere, quam noua, licet sint accurata, componere: Tua tamen autoritas, vir & natalium splendore perillustris, & virtutum, atq; literarum concentu praecclare, sic meam hanc opinionem confirmavit, ut iam in explicandis autoribus, atq; etiam in nouis scriptis cuedis nihil praestabilius, aut magis palmarium esse putem quam prudentiae methodo, quaecumq; scripta aut scribenda sunt, perpendere, & examinare. Hoc facile intelliget, qui attentè, atq; aequa lance tua in Habacuc Prophetam doctissima scripta examinauerit: promptè enim eliciet, quanta ingenij perspicuitate, quanta cura & diligentia latentem erueris in commentando methodum, & ipsa commentaria quanta dexteritate confeceris. Vnde maior mihi accreuit sitis maiora videndi, quum sciam te propediè auctiora, politiora, & limatiora illa ipsa commentaria daturum. Analyseos igitur tam est virtus excellens, ut sine illa quaecumq; aut scribentur, aut scripta sunt, muta, surda, & sine vita esse censeantur. Nam (ut mittam Dauidicos Psalmos, qui tanta cura compositi sunt, ut sine analysi nequeant explicari) quis vnquam Horatianam methodum, ita est interpre-

A 2 tatus,

tatus, vt nobis in singulis saturis, vel epistolis quid voluerit, aut senserit politissimus poeta, patefecerit? Sed quid miremur in longioribus saturis interpretes ballucinari, si in breuibus Odis cæcutiunt? Omnes fere, qui in Horatianis Odis præfiguntur tituli, sunt inepti, & à perditissimis Grammaticorum ingenijs excogitati. Virgilij itidem Eclogas corruerunt. Sed nihil putidius, & insulsius titulis illis qui Paradoxis Ciceronis accõmodantur: quibus deceptus Antonius Maior agius sex Antiparadoxorũ libros satis impudenter effutijt. In quinta libri. 3. Horatiana Oda, & ultimo Martialis spectaculorũ epigrammate titulus hic legitur: Augusti laudes. Sed Horatij mens aliõ tendit, Martialis vero dum Domitianũ extollit, Augustum deprimat, & quasi vituperat. Huic tanto malo cupiẽs ego succurrere, libellũ, ante annos triginta, de interpretandis autoribus publicauit, in quo Artem poeticã Horatij cursim per methodam explicauit. Sed quia rem ipsam tibi & doctis multis magis attigisse, quam explicasse videbar: tuo monitu & hortatu non solũ Artem poeticã, sed & Siluas Angeli Politiani, quas adolescentulus illustraueram, nũc auctiores & emendatiores repono. Et quoniam tuo hortatu, atque adeo tuo exẽplo hoc fit (qui tuũ Habacuc ex perfecto remittis nunc auctiorem & perfectiorẽ) par & equũ censui hoc totũ, licet tenue & exile, tibi dicere. Quandoquidem iam diu te talem credidi & existimaui, qui mea omnia (quicquid illud sit) hilari fronte amicaq; humanitate sis accepturus. Vale Salmantica, XIX. Octob. Ann. CIO IO XCI.

FRAN-

FRANCISCVS CABRE-
ra Morales Brocensis, Latine, Græ-
cæque linguæ Salmanticae Pri-
marius, Ad M. Franciscum San-
ctium Brocensem.

O Manes lyrici pandite Sanctio,
Quos olim modulos concinuit lyra,
Romanus Fidicen vester Horatius
Liber mortis ab impetu.
Illum Pierides arboris ictibus
Non lustrare feræ regna Proserpinæ
Sunt passæ, aut Siculis fluctibus obrui,
Versa non acie premi.
Illius melior pars tamen ingeni
Lethes immemoris littora inambulans,
Vidisset cytharæ munera tristia
Lapsu temporis inuido.
Ni noster properè Mercurius fauens
Musarum decus & præsidium choris,
Vindex carminibus ferret opem sacris,
Nigra nocte latentibus.
Et verè celeres induit alitis
Pennas marmorei, compleat Aethera
Queis Flaccus maculis tersus, & integer,
A 3 Solo

Solo vindice Sanctio.

Ergo vos cineres dicite Sanctio

Quæ viuens caneret gratus Horatius

Nam si spirat adhuc, si placet, vnus

Totum à munere Sanctij.

Idem ad eundem.

Cedant prisca tuis sinuosa volumina chartis,

Musa quibus Flacci desipit, hisq; sapit.

Acrō, Porphyrius procul hinc, Ascēsius absint,

Musa quibus Flacci cōticet, his loquitur.

Arsiduosque tuos taceas Lambinē labores,

Musa quibus Flacci si docet, id temerè.

Nec iactent alij nocturni temporis horas,

Musa quibus Flacci garrulitate perit.

Vnus pro cunctis pandens Heliconæ Brocēsis,

Explicuit victor bellica signa potens.

IOANNES BAPTISTA

Munguia Segobiensis ad lecto-

rem, de operibus Sanctij

Magistri sui.

Dogmata qui Lyrici celebris penetrare laboras
Quæis vates docto hoc instruit ille libro:

His fruitor scholijs Lector studiose disertis,

Quæ peperit Sanctij rara Minerva tibi.

Hanc admirantur Musa, & Tritonia Pallas

Illorum hîc solus gloria summa manet.

Nam, veluti Cygnus fatali tempore mortis

Dulcius arguto fundit ab ore melos,

Sanctius haud aliter, doctorum summa voluptas

Delicium Phœbi, Pieridumq; nouem,

Maturis annis depromit scripta canora

Inque dies nobis pangit acuta magis.

Dispeream si lusit eo quid doctius alter

Hactenus, aut vnquam fecit acuta magis.

Quare agite ô Musæ Parcas placate seueras,

Phœnicis superet sæcula vester Olor.

A 4 LVDI.

ARBITRARIUM
LUDIVICVS MORALIS

LVDIVICVS MORALIS
Cabreræ Iuris Cæsarei studiosus
Brocensis, ad Sanctium Bro-
censem Magistrum suum,
Tetrastichon.

CRedere si fas est in corpora nostra relabi
Elapsos animos, quos leuis aura tulit.
Intrauit Venusina tuos (nec fallimur) artus,
Mens animi, atq; tuo Flaccus ab ore canit.

1
Q. HORATII
FLACCI DE ARTE
Poëtica epistola ad
Pisones.

Poetas nõ esse prorsus liberos, imò
totum opus debere constare suis parti-
bus aptis, & consentaneis.

HVMANO capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndiq; collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
Persimilem, cuius, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ. Pictoribus, atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
Scimus, & hanc veniã petimusq; , damusq; vicissim.
Sed non vt placidis coeant immitia: non vt
Serpentes auibus gementur tigribus agni.
Inceptis gravibus plerunq; , & magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, vnus, & alter
Assuitur pannus: quum lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,

A 5 Aut

Quintil. li
bro. 8. c. 3.
Adag. Ex
harena fu-
niculũ ne-
ctis.
Turneb. li.
19. c. 9. &
li. 22. c. 7.

Adag. Li-
beri poetæ
& pictores.

Turneb. li.
5. cap. 7. &
li. 20. c. 8.

*Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum
Scis simulare. Quid hoc? Si fractis enatat expes
Nauibus, are dato, qui pingitur. Amphora cepit
Institui, currente rota, cur vrceus exit?
Deniq; sit quoduis simplex duntaxat, & vnum.*

Adag. Si-
mulare cu-
pressum.
Adag. Ar-
chilochi
melos.

Ecphrasis.

Scripturo mihi de Arte poetica præcepta, illud in-
primis obijcitur, quod passim ab omnibus deean-
tatur. Liberos esse poetas ac pictores. Antiquum enim
prouerbum est: Liberi poetæ, & pictores: quo pro-
uerbio monemur ita liberos debere esse poetas, vt nul-
lis, aut regulis, aut præceptis astringantur. Quod si te-
neamus, aut si vt vulgo intelligitur, intelligamus: cassa
& inanis fuerit nostra opera: quum Poetas regulis &
præceptis conemur alligare: Quam igitur vim habeat
prouerbum, quantaque sit artis vis atque necessitas, no-
stri muneris est aperire: sed prius sic ostendo, non esse
liberos poetas. Pictores liberi non sunt, ergo nec poe-
tæ liberi erunt. Nam si pictor formosam mulierem de-
pingat, & humano capiti ceruicem equinam iungat,
& vndique collatis membris varias plumas inducat, ita
vt in turpem piscem desinat mulier formosa ex parte
superiori: nonne ridebitis, o magni amici? Eodem
prorsus modo ridendus, & exhibendus est liber, &
poema, cuius formæ vanæ, & inanes finguntur, qua-
les ægroti somnare solent. Quum nec pes, nec caput
vni formæ reddantur, imo vero nullæ alijs parti-
bus quadrent. Quum autem obijcis pictoribus, & poe-
tis æqualem fingendi potestatem concedi: non sic est
intelligendum, vt sine ordine, atque modo, quæcunq;
libuerit

buerit effingamus, imo vero ego libenter huic accedo
rouerbio, & alijs etiam poetis, vt multa effingant, con-
cedo libentissimè. Sed ita tamen, vt vni corpori conue-
niant membra, nec enim auibus membra aliqua serpen-
tum adiungam, aut tigribus, & agnie idem domicilium
signabo. Accedit aliquis (verbi gratia) peritum ad pi-
ctorem, vt Venerem formosissimam depingat, postulâs.
Nunquid pictor ille sua illa vtetur libertate, & Venerè
monoculam effinget, barbatam, obequitantem, & mani-
bus hastam tenentem? Minime, inquis, imo vero Veneri
reddet eam formam, quæ maxime Venerem deceat: & qua
em peritus & non ineptus pictor pingendam à poetis
acceperit. Quæ est igitur illa pictoris libertas? Dicam
breuiter. In locis tabulæ vacuis, qui Venerem circun-
stant, liberum erit pictori flumina, ripas, arbores, flores,
auiculas depingere. Sed & hic etiam acriter est confide-
randum, quid rerum natura postulet, & quid cuique pi-
cturæ sit accommodandum. Cur enim, (rogatus ab ali-
quo, qui naufragium fecit, vt se pingas in tabula natan-
tem, & periculam maris effugientem) tu cupressum, arbo-
rem à marinis fluctibus alienam in locis tabulæ vacuis
depingas in medio mari? In locis itaque qui sunt velut
epipsodia, id est in locis communibus poteris lucum de-
scribere, vel templa, famam, famem, palæstras, & currus;
sed ita hæc sunt inferenda, & attemperanda, vt non ve-
nias in suspicionem, te nihil aliud posse tam bene depin-
gere, aut describere, quàm illa, quæ tam crebro inculcas,
etiã si sint panni, & assuturæ perquã elegâtes. Itaq; neq;
in Achillis forma depingenda tibi aliquid libertatis, præ-
ter quã quæ ab Homero traditur, concedemus, nec in
ipsi^o tabulæ locis vacuis delphinos, choreas, Siluanos, &
anguillas depingi, patiemur. Quodcunq; igitur aggrede-
ris, tale sit, vt partes cū toto ita cõcordent, vt totum illud
sit vnũ idèq;. Nec enim par est, vt ineptos figulos imite-
mur, qui vasa capacia intèdunt efformare, deinde vero in
vrceolũ minutũ desinunt: nec etiã in ipsi^o tabulæ partib^o
amplius

amplius, quam rei natura patitur, licebit diuagari. Hæc libertas poetarum est, non illa quam tu diuinabas.

Annotationes.

Risum teneatis amici? Amicus magnus erat antiquitus quem nos vocamus dominum. Iuuenal Satyra. 1. Magni delator amici, Horatius. non solet addere magnum, vt ad Mœcenatem: Ibis Liburnis inter alta nauium, Amice, propugnacula.

Velut ægri somnia. Magis placet ægri somnia, quam ægris somnia. Sciendum autem est scriptores librariorum, qui dictante alio, excipiebant; multos locos autorum deprauasse, quum audirent dictiones aliquas in S. desinentes, sequente vocali, aut contra, aut in S. desinentes, alijs ab S. incipientibus: vt sanctos imos, sancta simus, sanctos simul. In hoc opere (vt mox dicitur) legitur iussit, pro ius-sit, & Saty. 8. li. 1. hoc miserę plebis stabat: pro miserę plebi. In cantico Zacharię legitur: Fecit redemptione plebis suę: pro plebi, τὸ λαῶν. Teren. Eun. act. 5. scen. 3. vide vt otiosus sit, lege otiosus it. Plautus Aulul: Nam si opulento sit petitum pauperioris gratiã, qui locus valde conturbauit antiquos Grammaticos. Lege. Nam si opulentos it petitum. Opulentos, pro opulentus, vt Dauos, pro Dauus. Virgil. Culic. Posterius pœnam nati se morte futuram, lege, natis è morte, id est post natis. Ibidem. Et quod erat tardus omni langore remoto, Lege, tardus somni langore remoto. Plaut. Pseud. Exploratore hunc faciamus ludo supposititium, lego, faciamus ludos supp. Pomponius Mela. lib. 1. cap. 7. fyrtilinus est, lege, fyrtilis sinus est. Virg. 4. Georgicon. Prius haustus sparsus aquarum, lege, haustu. Idem. 2. AEncid. Oppositi stat ferri acies, lege, oppositis stat. Sunt alia multa huiusmodi apud Plinium, & alios.

Inceptis grauibz plerunq; & magna professis, Purpureus. Hoc male Lambinus, & alij. Sensus est: Concedimus

dimus in magnis poematibus illustriores additiones, & digressiones interlocari, quas vocat purpureos pannos, vt quum describimus lucos, vel templa, vel fluuios. Sed hi panni etiam si sint illustriores, quam ipsum opus, non sunt sæpissimè repetendi, aut alienis locis affuendi. Nã si sæpe idem repetis, credemus te nihil aliud scire depingere, quam lucum, aut pratium. Purpureus; interpretor splendidum, lucidum, oculis gratissimum. Nam purpureus flos apud Virgilium, & purpurei olores apud Horatium, non aliter sunt intelligenda.

Et fortasse cupressum scis simulare. Simulare cupressum dicitur ille, qui multa se scire profiteretur exactè, sed vnum tantum perite potest præstare. Dicebat enim ille pictor se iactans: heus tu, quid velis in tabula hac præter tuum naufragium pingi, pete audacter: omnia enim, quæ petieris, præstabo: sed si me consulis, nulla arbor picturam ornabit commodius, quam cupressus. Est enim oculis gratissima. Hic multum sudat Lambinus, quia non intellexit vim verbi. Simulare.

Deniq; sit quoduis. Quoduis vna dictio est, id est quodcunque negotium.

Sine arte nihil rectè posse curari, & effingi. Nam virtutibus contraria vitia imitatur ignarus.

Maxima pars vatũ, pater, et iuuenes patre digni
Decipimur specie recti; breuis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem læuia, nerui
Deficiunt, animiq; professus grandia, turget.
Serpit humi, tutus nimium timidusq; procellæ:
Qui variare cupit rem, prodigialiter, vnam,

Adag. Humi serpere.

Delphi-

Q. Horatij Flacci

Adag. Delphinum filius appingit, fluctibus aprum.

In vitium ducit culpa fuga, si caret arte.

Adag. Nil min⁹ expedit, quam agrum optime colere.

Emilium circa ludum faberimus, & unguentis

Exprimet, & molles imitabitur aere capillos.

Infelix operis summa, quia ponere totum

Nesciet! Hunc ego me (si quid componere curem)

Non magis esse velim, quam pravo vivere naso

Spectandum, nigris oculis, nigroq; capillo.

Quintil. li. 7. prolog.

Ecphrasis.

Nunc de Arte ipsa, & eius necessitate pauca præstebemus, exactius enim postea dicturi sumus. Ars & præcepta, o Piso pater & Pisones tali patre filij dignissimi, adeo necessaria sunt, ut etiam in virtutum operibus aggrediundis in promptu sit peccare, falli, decipi, nisi rem arte tractes, & præceptis gubernaris. Rectum tenere clavum omnes cupimus, sed decipimur specie recti. Nulla enim virtus est, quæ sibi coniunctum vitium non habeat, ut liberalitas effusionem. Sic in generibus scribendi perfecta virtus est Brevitas, hanc qui cupit apprehendere, in obscuritatem incurrit, si qua arte has discernat, ignorat. Præterea tres sunt, ex Rhetorum sententia, scribendi characteres. Nam tenuis, & gracilis est stylus, acutus, omnia docens; non amplificans, subtili quadam & pressa oratione limatus. Est & alius stylus plenus, cum ampla & sententiarum gravitate, & maiestate verborum, vehemens, varius, copiosus, gravis, ad permouendos & commouendos animos instructus. Est & alius stylus interiectus, intermedius, & quasi temperatus ex utroque, vicinus amborum, utriusq; particeps, vel potius expers, vno tenore in dicendo fluens, ornamentis modicis verborum sententiarumq; orationem picturans. Hæc Rhetores. In his tribus stylis sic peccatur. Pro medio stylo & laxi oneruem scribes & animis deficies. Pro grandi & sublimi

Ciceronis verba.

sublimi turgidum & tumidum exercebis. Pro tenui & gracili (dum times profundi pelagi procellas, & simul ne in litus impingas caues) serpes humi, & in harenis hæres cymbam impellere non poteris. Postremo quum varietas virtus sit ad delectandum præcipua, tu pro varietate mostrose Delphinum appingis & apros fluctibus. Itaque dum vitium vitare volumus (si arte caremus) in culpam incidimus. Nec vero peritum artis rite possumus appellare eum, qui peritè & ad unguem exprimit statuarum capita & molles capillos, vel manus vel brachia, si totam statuam cum suis partibus aptis nequeat expolire atq; perficere. Nam quæ potest esse ars, nisi quæ non ex vna, aut ex duabus, sed ex multis præceptionibus constat? Non ergo formosus ille est, qui nigros oculos nigrumque capillum sortitus est, si tamen deformis nasus totam oris compositionem deturpat. Sic ergo Proverbium contra nos obiectum explicuimus: & artem esse non modo utilem, sed valde necessariam, ut partes operis, & totum opus inter se constet, ostendimus.

Cicero.

Annotationes.

Maxima pars vatum. Totum hunc locum cum suis exemplis Lambinus, & alij somnijs inuoluerunt. Sensus est: in virtutibus etiam ipsis capessendis, semper errabimus, si arte caruerimus. Nulla enim virtus est, quæ vitium simillimum sibi non adiungat. Nec enim virtus consistit in medio duorum vitiorum, ut plerique putauerunt, sed (ut Plato ait) vnum semper vni contrarium est, non vnum duobus. Contraria vocat Arist. quæ sub vno genere continentur, ut effusio, & liberalitas in ratione dandi continentur, sicut auaritia, & parcitas in ratione retinendi. Itaque quod est contrarium virtuti vnum est & simillimum est, In quibus discernendis arte callida opus est. Cicero in Partitionibus. Cernenda sunt diligenter ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari:

Adde Iuven.
Satyr. 14. fol.
109. incipit. Falta
in vicium. etc.

imitari: nam & prudentiam malitia: & temperatiam im-
 maritas in voluptatibus aspernandis: & magnitudinem
 animi superbia in animis extollendis: & integritatem
 despicientia in contemnendis honoribus: & liberalita-
 tem effusio: & fortitudinem audacia imitatur: & pacien-
 tiam duritia immanis: & iustitiam acerbitas: & religione
 superstitio: & lenitatem mollitia animi: & verecundiam
 timiditas: & illam disputandi prudentiam concertatio,
 captatioq; verborum: & hac oratoriam vim inanis qua-
 dam profuentia loquendi. Horatius illarum tantum vir-
 tutum apposuit exempla, quæ ad scriptores spectant, ut
 breuitatis, styli mediij, sublimis, & humilis, varietatis,
 quasi dicat: qui breuitatis gloriam captat, incidit in ob-
 scuritatem: qui læuam, id est politum stylum spectat, ne-
 uis, & animis destituitur: qui grandem, turgidus euadit
 qui humilem, serpit humi: & tandem quum velit varia-
 te placere, monstra effingit, & prodigialiter Delphinum
 filuis appingit, fluctibus aprum. Vox **Prodigialiter**,
 adiungenda est verbo appingit, nõ vero, variare. Quod
 sæpe apud Horatium obseruabis: ut infra: chorusq; tur-
 piter obticuit, construe: sublato fure nocendi turpiter,
 & satur prima, fortissima Tyndaridarum. Construe: li-
 berta fortissima diuisit hunc medium securi Tyndari-
 darum. Nam securis Tyndaridarum sic abiit in prouer-
 bium, ut equus Scianus: aurum Tolosanum.

Et molles imitabitur ære capillos. Disquirunt do-
 cti, quid sit apud Martialem, molles honores: ego mol-
 les Honores accipio imagines, & statuas: ita ad viuum
 effictas, ut viuere videantur, ita ut si digitum illis impi-
 mas, cedere caro viua videatur. Sic Virg. 6. AENEID.

Excudent alij sperantia mollius æra;
Cedo equidem: viuos ducent de marmore vultus.
 Idem

Et molli circum est ansas amplexus acantho.

Molli

Molli acantho, interpretor, iuxta Horatianum hoc,
 molles capillos, & Martialis illud, molles Honores: non
 ut illi, qui inter acanthi genera enumerant mollem
 acanthum.

Materia oratoris & poetæ constat
 ex rebus, & verbis: hoc est ex ordine, iun-
 ctura, & numero. Prius igitur
 agendum de ordine.

*S*umite materiam vestris, qui scribitis æquam
 Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
 Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
 Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
 Ordinis hæc virtus erit, & venus (aut ego fallor)
 Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici:
 Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat.
 Hoc amet; hoc spernat promissi carminis autor.
 Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim.
 Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
 Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
 Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
 Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte?
 Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Troiæ
 Qui mores hominum multorum vidit, & verbeis.
 Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
 Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
 Antiphatem, Scyllamq;, & cum Cyclope, Charibdim.
 Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri.
 Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.

Turneb. li.
 19. c. 9.

Adag. Par-
 turiant mō-
 tes.

B

Semper

*Semper ad euentum festinat: & in medias res,
Non secus, ac notas, auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur: sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.*

Ecphrasis.

Postquam ostendimus necessariam esse artem, restat, ut ad artis præcepta nos accingamus. Atque inde potissimum incipiamus, quod primum natura est: hoc est, de materia ipsa, circa quam versatur & poeta, & orator. Materia Oratoris est in rebus, & in verbis. Omnis autem oratio (ut ex Rhetorum præceptis percipimus) constat ex ijs, quæ significantur, aut ex ijs quæ significant. Res voco neruos ipsos orationis, & veluti fundamenta ædificij. Qua in parte maximè & præcipue ordo spectandus est, Qui rem prius perpenderit, & quale pondus humeri sustinere valeant, examinauerit: in ordine (in quo totius rei cardo vertitur) minime poterit aberrare, nedum in verbis, & elegantia, quæ sua quasi sponte lucidum ordinem comitatur. Et quum duplex sit ordo, id est methodus scribendi, altera naturæ, prudentiæ altera, mihi placet ut poeta (nisi historiam narret) prudentiæ methodum sæpius intueatur, id est iam nunc dicat illa, quæ debent statim dici: & pleraque, imo plurima differat, quæ omitti in initijs, & in hoc præsens tempus iubeo: quædam itaque primum amplectatur, & quædam aut reiiciat, aut differat, qui grandia profiteretur se decantaturum. Quo in genere proponat sibi Homerum imitandum, qui nihil molitur ineptè, qui mirabilia, grandia, & stupenda narraturus, sic ordinem attemperat, ut nec à primo principio res deducat, nec ab ipsis mirandis incipiat, sed ex paruulis quasi initijs, & veluti fumo ad speciosa miracula, & ignem splendidissimum progre-

grediatur, atque ita mentitur & vera cum falsis miscet, ut principium medio, & medium fini concordia connectantur admirabili. Hunc igitur ordinem tibi potius sequendum præcipio, quam illum, quo usus est in sua Iliade poeta ille circumforaneus, quum sic orditur: Fortunam Priami cantabo & nobile bellum. Magna enim promisit, & parua præstitit, sic enim olim quum ita fremerent montes, ut parturire crederentur, accurrit densum vulgus, & magnum aliquid spectans, murem pusillum conspexit egredientem. Vnde risus non mediocris fuit excitatus.

Annotationes.

Cui lecta potenter erit res. Id est qui materiam selegerit, & quid circa eam possit pro viribus expenderit. Rem hic vocant Rhetores argumentum, & argumentum neruos. Verborum autem selectio nem vocant tropos, & figuras, & (ut vno verbo dicam) ipsam eloquentiam. Persius in prima Satyra poetas Romanos exagitat tanquam inopes rerum, quum dixit: Quantum est in rebus inane. Non ut interpretes somniant, in rebus, id est in toto orbe, vel in rebus humanis: & ut has ineptias confirmant, adducunt illud Salomonis: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Longe hæc inter se discrepant. Imo vero nec Persius per totam Satyram reprehendit omnia illa carmina, quorum aliqua sunt elegantissima, sed ridet (ut Horatianis verbis utar) versus inopes rerum, nugasque canoras.

Præsens in tempus omittat. Si explicarem cum alijs: præsens in tempus, id est in proprium locum, & quod Hispanè dicimus (para su tiempo lo dexe) non errarem, quia & sententia quadrat, & sic Latini uti solent præpositione, IN, ut in diem in horam: sed quia video Horatium alibi aliter uti his vocibus, quum illo sic sentio: præsens in tempus, id est nunc, &

vt Barbari dicunt, pro nunc, Hispane (por agora) lib. 2.
Oda. 16. Lætus in præsens animus, quod vitra est ode-
rit curare.

Nec sic incipies, vt scrip. Hæc decem, & septem
carmina, quæ alienum locum scriptorum librariorum ne-
gligentia occupauerant, mirificè ad ordinem faciunt.
Quid enim quum de tragœdia totus esset sermo, attine-
bat dicere: Nec sic incipies? Nam Tragœdiarum inci-
piendi nulla potest dari præceptio. Quomodo autem in
antiquis libris transcribendis mutantur, & transponan-
tur paginæ, satis acutè, atq; perspicuè indicauit Iose-
phus Scaliger in Varronem, & Propertium. Nos autem
non hoc loco solo in propriam sedem vindicato conten-
ti fuimus: sed alium etiam, quando de numeris agitur,
apte coniunximus.

De iunctura, siue de verborum in- nouatione, quæ triplex est.

IN verbis etiam tenuis, cautusq; serendis
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura nouum. Si fortè necesse est
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum.
Fingere cinclutis non exaudita Cethegis
Continget: dabiturq; licentia sumpta pudenter.
Et noua, fictaq; nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parte detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Variorq;? Ego, cur, acquirere pauca
Si possum, inuideor, Quum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum

Nomina

Nomina protulerii? Licuit, semperq; licebit,
Signatum præsentem nota producere nomen.
Vt siluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentq;.
Debemur morti nos, nostraq;: siue receptus
Terra Neptunus classeis Aquilonibus arcet,
Regis opus! sterilisve diu palus, aptaq; remis
Vicinas vrbeis alit, & graue sentit aratrum:
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos, & gratia viuax.
Multa renascentur, quæ iam cecidere: cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Homer.
Iliad. 6.

Sueto. Au-
gust. 16.

Vt exan-
tlare, pro-
sa, effari.

Ecphrasis.

Dixi de ordine nunc de verbis dicendum erit, quæ
pars etiam in duo diuidetur, in Iuncturam & Nu-
merum, ita vt tota tractatio tribus his vocibus explicetur:
Ordine, Iunctura, Numero. Iunctura postulabat, vt
omnia, quæ de coagmentatione literarum, & syllabarum
inter se disputant Rhetores, disquireremus: sed quia nos
nunc poetam non ab incunabulis informamus, sed adul-
tum iam & quasi perfectum limamus, & ostentamus: mi-
nutula illa, quæ in Rhetorum scholis docentur præter
mittentes, pauca de nouandis vocibus aperiemus.

Tribus fere, aut quatuor modis nouare possumus vo-
cabula, sed in omnibus parcè, & pudenter hæc licentia
vtendum est. Primo modo callida Iunctura primum lo-
cum vendicat, quum ex vocibus uitis, & peruulgatis

fit noua, & admirabilis tela, quæ noua, & inaudita videatur. Deinde quum ad res nouas nouæ voces, & nunquã priscis auditæ proferuntur, vt Cinctuti Cethegi.

Postumus præterea fingere verba, si à Græcis vocibus cum moderamine fuerint detorta, vt Episcopus, Prophetas, Philosophos, dica pro lite. Postremo multa, quæ iam ceciderunt vocabula & antiquitate ipsa veluti oblitterata sunt, poteris in lucem reuocare, vt profapia, fuat, olli. Nam hæc omnia antiquis poetis, vt Cecilio, & Plauto concessa sunt: quum lingua Catonis, & Ennij sermonem patrium ditauerit, & noua rerũ nomina protulerit. Cur idem Virgilio, Varioque non concedetur? Quemadmodum enim in siluis contingit, vt folia prima cadant, & noua quotannis succedant, sic etiam verborũ ætates perire, & interire possunt. Omnia enim morti debentur: & flumina etiam & lacus mutantur, & regum opera iam vidimus effectum, vt vbi antea prata fuerint, sit mare profundum: & vbi mare fuit, nunc segetes maturescant.

Annotationes.

Callida iunctura. Pro exemplo erit huius præcepti, nam quum callidus, & iunctura sint antiqua & trita nomina, nouè tamen, & elegantissimè coniuncta quãdam obijciunt auribus nouitatem. Sic Virgilius dixit: potem indignatus Araxes: & ferrum armare veneno. Iuxta vsitatum proverbium: communia quidem nouè, noua vero communiter. Rursus Horatius Cinctutos vocat Cethegos, quo nomine nemo ante eum vsus vnquam fuit. Vnde postea Ouid. 5. Fast.

Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis.

Sic enim melius legitur in Plantinianis, quàm succinctis M. Cornelius Cæthegus Annibalis temporibus Còsul fuit: G. Cornelius Cæthegus annis octo post creatus Consul, & in Hispaniam missus. xv. millia Hispanorum vno prælio cecidit. Hi igitur Cæthegi (vt conie-

ctari

ctari par est) non togati more Romanorum gradiebantur, sed veste militari induti, quæ Cinctus Gabinius dicebatur. Vnde Lucanus lib. 6.

Marijque truces, nudique Cethegi.

Si Græco fonte cadant parce. Vt Rhetorica, musica, physica, triclinium, dica pro lite, acta pro littore. Hinc Martialis merito carpit AEmilianum, quod Mystillum vocabat pro coco, quia videlicet legerat apud Homerum: Mystillon te arate alla, id est, secabant, & sane alia, atque alia. Verba Martialis sunt.

Sitibi Mystillus coquus, Emiliane, vocatur, Dicetur quare non tarat alla mihi?

Possumus (inquit) fingere voces nunquam inuentas, vt Cicero primus finxit, fauor, & alias multas voces, vt Græcis in Latino sermone responderet. Præpon (inquit) appellant Græci, nos dicamus sane Decorum. Et alia quæ diligenter adnotat Lambinus. Et Terentius finxit primus Obsequium. Quin, & ipse Cicero non vno in loco autor est, vt rebus nuper inuentis noua nomina reddamus. Sed in hoc præcepto male intellecto vix dici potest, quanta peccentur à nostri seculi hominibus Theologis, Medicis, Philosophis. Nec satis possum admirari doctissimũ Lodouicum Vhem, qui tam audacter, tamque præter æquum, & decens tot finxit vocabula in sua Exercitatione linguæ Latinæ. Nihil enim nunc benedicatur Latine, nisi tantum illud quod in libris politioris Latinitatis inuenitur. Dum lingua illa vigeat, licet aliquas voces inuenire, & in vulgum propalare. Quod & nunc Hispanis in Hispana lingua, & Gallis, & Italis in sua licebit, si modo populus omnis id approbet. Sed in linguis Græca, Hebræa, Latina (quæ iam in vsu populari non sunt, sed ex libris tantum eruendæ) minime licet verba fingere, nec Latinæ linguæ quicquam addere, quod ex libris Latinorum non

B 4

fulcia-

fulciatur. Poteris tamen cum aliqua præfatione aliqua inferere: vt Galli Parlamentum vocant, quod Latine Senatum: sic vocantur vulgo Cardinales. Sic Itali vocant Banderas. cæt.

Dixeris egregie. Diligenter hic Lambinus de verbis nouatis, & coniunctis disputat ex Cicerone, & somnia vocat aliorum interpretationes: mihi vero nec Lambini, nec aliorum placet interpretatio. Longe alia Horatij mens est. Nec enim de illa compositione loquitur Horatius, quam Lambinus mecum approbat, sed de Iunctura partium, quum ex notis, & tritis vulgo vocibus fit præclara, & admirabilis Iunctura, quæ altius considerantes grata nouitate detineat. Hoc facile possum ex ipsius Horatij versiculis infra positis confirmare.

*Ex noto fictum carmen sequar, vt sibi quiuis
Speret idem: sudet multum, frustra q̄, laboret
Ausus idem: tantum series, iunctura q̄, pollet.
Tantum de medio sumtis accedit honori.*

Indicijs monstrare recent. Vocabula sunt indicia, seu notæ rerum: *σύμβολα* & *σημεία* vocant dialectici ex libello garrulo Perihermenias.

Inuideor. Nouè dixit inuideor passiuè, vt auget sermenem Latinum. Quod imitatus est Ouid in Epist. Laodom. Troadas (inquit) inuideo. quod sonaret passiuæ, Troades inuidentur. Hinc iam præmoneo lectoré, me non annotaturum in hac explicanda Horatij arte, nisi ea tantum quæ video à commentatoribus ignorari. Nam cætera quæ pertinent vel ad historiam, vel ad explicationem vocum, & codicum collationem, diligenter & docte præstitit Lambinus, illinc censeo petenda, nos enim non commentaria scribimus, sed ab alijs prætermittas animaduersiones.

De

De numero, & pedibus, & quibus quodque poema constet, contra Latinorum negligentiam.

R Es gestæ regumque, ducumque, & tristia bella
Quos scribi possent numero, mōstrauit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emisit autor,
Grammatici certant, & adhuc sub Iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesq̄, cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populareis
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus diuos, puerosq̄, deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.
Syllaba longa breui subiecta vocatur Iambus,
Pes citus, vnde etiam trimetris accrescere ius sit
Nomen Iambicis, quum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem,
(Tardior vt paullo, graniorq̄, veniret ad aureis)
Spondeos stabiles in iura paterna recepit:
Commodus, & patiens: non vt de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operæ celeris nimium, curaq̄, carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.

Adag. Archilochum teris.

Vnde Act⁹ in fabulis.

B 5

Non

*Non quivis videt immodulata poemata Iudex:
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcirco ne vager? Scribamq; licenter? an omneis
Visuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem venia cautus, vitavi deniq; culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudauere saleis, nimium patienter vtrunq;
Ne dicam stultè, mirati: si modo ego, & vos
Scimus in urbanum lepido seponere dicto,
Legitimumq; sonum digitis callemus, & aure.*

Adag. No-
cte dicq;.Adag. Me-
tiri digitis.

Ecphrasis.

DE numeris modo nobis agendum est, idest quibus numeris, & quibus carminum generibus, & quibus pedibus deceat scribere res vniuersas: neque enim versibus, & pedibus comædiarum debent scribi res gestæ regum, aut versibus heroicis cætiunculæ amatorie. Imo vero (vt paullo post ostendam) comædiæ atque tragædiæ quum senarijs versibus constant, stylo & compositione sunt inter se distinguendæ.

Versu itaque Heroico res gestæ Heroum, regum, & ducum sunt describendæ. Huius carminis inuentor, & perfector fuit Homerus.

Versu Elegiaco, qui cõstat hexametro, & pentametro, quanuis à gemitu nomé habeat, & à querimonijs inceperit, postea tamé voti cõpotes sententias, & triumphos in amoribus cõplexus est, autor horû carminû ignoratur.

Versus Iambus ab Archiloco inuentore dictus est Archilochius, ad rabiem, & maledicentiam aptus. Sed quia hic pes aptus est ad alternos sermones, idest ad interrogandum,

gandum, & respondendum, & nihilominus aliquantulû attollit stylum supra vulgarem sermonem, comædiæ & tragædiæ hunc pedem sibi vindicauerunt. Inde enim comædia diuiditur in actus, quia rebus agendis pes hic valde videtur accommodus,

Carminum lyricorum inuentorem, alium quam Musas ipsas, inuenio neminem. Hymni, & laudes Deorum, & Heroum in hoc genere scripti sunt. Victores in olympijs & ceteris ludis hoc carmine celebrabantur. Cætiunculæ iuuenum amantium, & ipsorum conuiuia hoc carmine modulari poteris aptissime. Sed antequam ad alia transeo, quoniam ad comædiarum & tragædiarum examen nostra properat oratio, de versu Iambico, & de negligentia Latinorum poetarum circa eius compositionem dicenda sunt.

Syllaba longa, si breuis præcedat, iambum pedé efficit. Sex itaq; pedes iambici senarium carmen constituunt, quos pedes (quoniã velociter currunt) sit ius vocari trimetros: quoniã sex illi pedes tres percussiones habet. Vt Suis & ipse Roma, vi ribus ruit. Apud præcos Tragicos hi omnes pedes à primo ad vltimû erant iambici puri: sed postea (nec ita pridè est) iambicû carmen spondæos admittit pedes, vt tardius, & grauius audiantur. Ita tamen admittit spondæos, vt de secundo, aut quarto loco non cederet: nam de sexta domo nihil dubium est, non enim esset iambus si in sexta alium pedem admisisset in societatem. Hęc de iambo: qui pes in tragædijs Atticis, Næuij, (& Enni) rarus apparet, & tamen laudantur illæ tragædiæ: mihi tamen vehementer displiceat, quia ille tantum cum magno boatu & pondere versus illos in theatram sine vlla cura compositos, & cû magna festinatione exaratos mittit, & veluti proiect: atque ita compositos, vt mihi suspicionem ingeneret illum artem componendi ignorasse, quod sine turpi crimine fieri non admittimus. Illi tamen aliter se tuentur: Non ignoramus (inquiunt) artem, sed properamus, & negli-

& negligenter comœdias, & carmina componimus, & in hoc tantum, vt semel recitentur in theatro, quo in loco difficile est iudicare, quid apte, aut ineptè sic compositum. Quanto rectius, inquam, esset si mecum, dum compono, pensitarem neminem esse, qui non errata mea cōsideret, quàm sine lege vagari, & licentiam indignè Romanis datam vsurpare. Hoc vitare culpam est, non autè laudem mereri. Hinc igitur præcipio vobis, Pisones, vt dimissis Romanis poetis, ad Græcorum scripta imitanda totos vos noctibus, atque diebus conuertatis. Nescio enim quo pacto nostri maiores Plauti versus, numeros, & facetias laudauerunt. Ferrei mihi videntur, ne dicam stultos, qui talia mirantur, si modo ego & vos scimus quid sit vera, & legitima compositio carminis, & quid distent scurræ dicaces ab vrbanis, & elegantibus dictis, distinguere aliquando didicimus. Sed de ordine, iunctura, & numero hæc sint dicta. Nunc de decoro circa personas in comœdijs seruando necessaria disputemus.

Annotationes.

Quo scribi possent numero. Tractationi huic de numeris, (quam per tredecim versiculos creditus est hæcenus Horatius explicuisse) viginti quatuor versus ego adieci, qui in alienum locum scriptorum negligentia irreperant. Ex illo loco: Syllaba longa breui subiecta vocatur iambus. Si verum examines videbis omnia inter se mirificè quadrare, sed illud rem ipsam præcipuè demonstrat, quod ab Homericis numeris incipiēs in Plauti numeris vituperandis desinit disputatio.

Alternis aptum sermonib. Præter ea quæ adducit Lamb. egregiè facit illud Cicer. in Orator. perfecto. Magnam (inquit) partem ex iambis nostra constat oratio.

Et populares vinc. Id est, quia prorsam orationem, & popularem loquendi strepitum vincit, & exuperat, id est,

id est, quia se altius extollit; quam popularia negotia, nec tamen ad Heroica assurgit. Hic non placet Lambin.

Vnde etiam trimetris accrescere iussit. Verbum iussit omnes interpretes dedit præcipites, quia non intellexerunt esse duas partes orationis. Quemadmodum infra dixit Horat. Sit ius, liceatq; perire poetis. Ita sensus est, liceat vocari trimetrum illum versum, quum sit senarius, & senos habeat pedes. Similis error est apud Varron. lib 5. ling. lat. Et vt iussit vinum legere, agna Ioui facit lego, vt ius sit, id est, sit ius. Item apud Festum in voce taxat, quum præscribitur quoad ei iussit statuen di, leg. ius sit, id est, sit ius.

In scenam missos. Hoc pessime Lamb. vid. Ecphras.

Premitt. Poeta festinans. male hoc Lamb.

Intra spem veniæ. Sic legendum est, non extra vt pessime legit & interpretatur Lamb. Sensus est, ego tutus intra spem veniæ, propterea quod spero veniam mihi dandam sub. properavi, aut vitavi.

Plautinos numeros. Nostri proavi legendum. non enim agit hic Horat. degenerare, sed de antiquitate. Neq; reprehendit Plauti comœdias (quas alio in loco laudat) sed numerorum licentiam, & iocorum crassitiam, & pro personarum decoro disparilitatem.

De decoro personarum, verborū, & numerorum ad perfectam actionem.

DEsriptas seruare vices, operumq; colores,
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere, malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult,
Indignatur item privatis, ac prope socco

Adag. Quā
in tragœ-
dia comic?

Dignis

Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
 Singula quæq; locum teneant sortita decenter.
 Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
 Iratusq; Chremes tumido dilitigat ore.
 Et Tragicus plerunq; dolet sermone pedestri,
 Telephus, & Peleus, cur pauper, & exul vterq;
 Projicit ampullas, & sesquipedalia verba?
 Si curat cor spectantis tetigisse querela?
 Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunt
 Et quocunque volêt, animum auditoris agunt.
 Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
 Humani vultus. Si vis me flere dolendum est
 Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.
 Telephe, vel Peleu, male si mandata loqueris,
 Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mœstum
 Vultum verba decent iratum plena minarum,
 Ludentem, lasciuam, seuerum, seria dictu.
 Format enim natura prius nos intus ad omnem
 Fortunarum habitum: Iuuat, aut impellit ad iram,
 Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
 Post effert animi motus interprete lingua.
 Si dicentis erunt fortunis obsona dicta,
 Romani tollent equites, peditesq; cachinum.
 Intererit multum Dauid ne loquatur an Heros:
 Maturus ne senex: an adhuc florente iuuenta
 Feruidus, an matrona potens: an sedula nutrix:
 Mercator ne vagus: cultor ne virentis agelli:
 Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.

Roscius

Ecphrasis.

Roscius apud Cicer. caput esse artis decere solebat
 dicere: quod tamē vnum id esse, quod trad. arte nō
 posset. Et Cicero ipse: Est, inquit, eloquentiæ sicut reli- Cicero.
 quarū rerum fundamentum sapientia. Vt enim in vita,
 sic in oratione nihil est difficilius, quam, quid deceat, vi-
 dere. P R E P O N appellant hoc Græci nos dicamus sa-
 ne Decorum: de quo præclare & multa præcipiuntur: &
 res est cognitione dignissima. Huius ignoratione non
 modo in vita, sed sæpiissime & in poematis & in oratione
 peccatur. Est autem quid deceat Oratori videndum: nō
 in sententijs solum, sed etiam in verbis. Non enim om-
 nis fortuna, non omnis honos, non omnis autoritas, non
 omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor om-
 nis eodem, aut verborum genere tractandus est, aut sen-
 tentiarum. Hoc autem, in re de qua agitur, positum est,
 & in personis, & eorum qui dicunt, & eorum qui au-
 diant. Hęc præclare Cicero, quę nos aliquanto expli-
 catius describemus. Qui negant esse artem in poeti-
 ca, nã illi multis modis falluntur. Nam si descriptas ser-
 uare vices, aut non poteris, aut ignoraueris, cur no-
 men Poetę tibi iustè arrogaueris? An mauius cum pu-
 dore, & dedecore præcepta ignorare, quàm cum utili-
 tate discere? Esto comœdia, & tragœdia iisdem nu-
 meris, & pedibus scribantur: an ideo non Tragœdię,
 atque Comœdię verba, & verborum, & personarum de-
 corum longe distabunt?
 Nam versibus exponi tragicis res comica non vult:
 Indignatur item priuatis ac prope socco
 Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
 Singulis, enim & verbis, & rebus decorum dandum est.
 Interdum tamen & vocem comœdia tollit
 Iratusq; Chremes tumido dilitigat ore:
 Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

Vides

Adag. Ha-
maxica.Adag. Ne
magna lo-
quaris.Aristot. in
poet. Nan-
nius lib. 3.Chil. 1. cen-
tu. 3. adag.
57.Adag. Ti-
refia cæ-
clor.

Vides quomodo appofuerim differentiam in verbis ip-
fis, inter tragœdiam, & comœdiam. Nam comicam vno
versiculo conclusi, eoque ex simplicibus & sine figuris
verborum composito; Tragœdiam autem duobus, ijs-
demq; & tropis & figuris adornatis. Itidem quum bo-
rum comœdiæ volui declarare, duobus versibus plenis,
sonoris, & figuratis rem ipsam explicavi, vno vero ver-
siculo mansuetioris spiritus significationem declaravi.
Et exempli causa addidi.

*Telephus, & Peleus, cur pauper & exul vterque
Proijcit ampullas, & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querella?*

Quum docere, mouere, & delectare proprium sit & ora-
toris, & poetæ munus: delectare magis ad verba, & actio-
nem pertinet: Mouere autem maioris est diligentia, &
ad decorum maxime videtur spectare. Non itaque satis
tibi sit pulchrum carmen composuisse, nisi dulcedinis &
decori motus plurimum addideris. Quod si quomodo
mouere auditores possis, & in quemcunque affectum tra-
here velis, scire desideras: paucis accipe, quod quidam
magni viri arte posse tradi pernegarunt. Non me Her-
cule vnquam (inquit Antonius apud Ciceronem) apud
iudices aut dolorem, aut misericordiam, aut inuidiam,
aut odium excitare dicendo volui: quin ipse in commo-
uendis iudicibus ijs ipsis sensibus, ad quos illos adduce-
re vellem permouerer. Nec enim facile est perficere vt
irascatur cui tu velis iudex, si tu ipse id lente ferre vi-
deare: neque vt oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum
flagrantem odio ante viderit: neque ad misericordiam
adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententijs,
voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis. Hæc &
alia Cicero ex Platone rectè docet. Nam humani vultus
ridentibus arridere solent, & flentes adiuuare. Itaque
Telephe, vel Peleu si vis me flere, dolendum tibi prius
est, vt tua me commoueant infortunia: At vero si com-
men-

Verba Ci-
ceronis.

mendata tibi verba male, & sine decore pronuntiaueris,
aut dormitabo, aut ridebo cum alijs. Mœstum vultum
tristia decent verba: minantia decent iratum: ludentem
lasciua: & seuerum seria. Paullum interesse censes (in-
quit Terentius) ex animo omnia, vt fert natura, facias,
an de industria? Natura enim informat nos intus iuxta
prosperam, aut aduersam fortunam, tum deinde lingua
interprete profert illos animi motus rite meditados. Cõ-
tra euenit, si dicentis fortunis absona dicta proferentur:
non solum equites, qui melius sentiunt, sed etiam vul-
gus dicentem te exhibebunt.

Iam igitur vt pedetentim ad fabulas examinandas &
componendas accedamus: de decore personarum circa
fortunas, patriam, nationem, officia, pauca prælibemus.
Alia est fortuna seruorum, alia Heroum. Idest Dauis, &
Herois, atque ita senes vel Tragicos vel Comicos depin-
ges maturos: iuuenes contra, iuuentute instimulante
seruentes: matronas cum potestate, nutrices diligentes
ac sedulas: vagantes per orbem mercatores: agricolas
sollicitos & gnauos. Atque etiam nationes, & patriæ
sunt adnotandæ. Nam Colchus aliter & viuit, & sentit
ac Assyrius: & Thebani audiunt hebetes: vt Argiui
callidiores.

Annotationes.

Proijcit ampullas. Placet Petrus Victorius: quum
legit: Quare proijcit ampullas? Nam Horatius aliquem
Tragicum hic reprehendit, qui Telephum inducebat so-
nora, & vt dicitur, hamaxica verba resonantem, proij-
cientem, & eiaculantem. In cõment. Aristophanis legimus
Telephum inflare loqui, quum id sit contra illius fortunæ
decorum. Nõ igitur accedo Lamb. nec Turneb. li. 9. c. 23.

Dauis ne loquatur an Heros. Heros retineo, quo-
niam Horatius de fortunis hominum agit. Et ita Heroes
opponit seruis. Et in hoc loco tam de personis Tragicis
quam Comicis agit, siue seruis siue senibus & matronis.

C De

De fabularum argumento, ex anti-
quis adsumto, vel nuper excogitato
præcepta.

A Ut famam sequere: aut sibi conuenientia finge
Scriptor, honoratum, si forte reponis Achillem.

Impiger, iracundus, inexorabilis acer,
Iura neget sibi nata: nihil non arroget armis.

Sit Medea ferox, inuidiaq; flebilis Ino:

Perfidus Ixion: I O vaga, tristis Orestes:

Si quid inexpertum scenæ cōmittis, & audes

Personam formare nouam: seruetur ad imum

Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Difficile est proprie communia dicere: tuq;

Rectius Iliacum carmen deducis in actus:

Quam, si proferres ignota, indictaq; primus.

Adag. Ne-
mo quem-
quam pro-
hibet.

Turneb. li.
19. c. 9.

Publica materies priuati iuris erit, si

Nec circa vilem patulumq; moraberis orbem:

Nec verbum verbo curabis reddere fidus

Interpres: nec desilies imitator in arctum;

Vnde pedem refferre pudor vetet, aut operis lex.

Ecphrasis.

Argumenta tragædiarum in duplici genere consti-
tuuntur. Aut enim componis fabulam nouam, quæ
uisquam fuit: aut ex antiquis historijs reponis actionē,
vt si Medeam, Achillem Orestemve adducas in scenam.
Vtriusque præcepta tibi subnectam. Si reponis anti-
quas Historias: sequere tamam, quæ de illis peruulgata
est: nec enim licet tibi fingere aliam Medeam, aut Achil-
lem quam eos, quos nobis fama tradidit, & depingit. Si
autem

autem fingis nouam: dabis operam vt sibi omnia cohæ-
reant, & inter se coherentia conglutinentur. Prioris par-
tis præcepta sunt. Si vis, verbi gratia, Achillem iterum
in lucis auras reuocare, attende quantus, & qualis sit Ho-
merus in honorando Achille, Nam Theris mater ab Io-
ue nihil aliud petijt, nisi vt Achillem honoraret. Home-
rus sapiissime vocat Achillem pedibus celerem, id est
impigrum, iracundum, inexorabilem, acrem, & qui iura
contemnat, & qui viribus, & armis omnia velit sibi arro-
gare. Talem igitur depinges tuum Achillem, nec à fa-
ma, quam de illo concepisti, deflectas. Idem faciendum
de Medea feroce, & inuidia. De Inone flebili: de perfido
Ixione, de Ione vaga, & Oreste tristi. Si vero ex te tibi
fingere contingat nouam aliquam fabulam curabis, vt
ab ipso principio, ad finem vsq; seruetur persona ficta,
eodem tenore, & proportione, ne monstram (dum perso-
nas fingis) contexere videaris. Credunt porro vulgo,
maius esse, & præstabilius fabulas nunquã vitas, aut au-
ditas suo Marte componere, quã ex poetis, & fama pro-
mulgare. Ego cōtra sentio. Nã difficilius est ea quæ sunt
communis, & cuiq; exposita, facere propria: quam ali-
quid nunquã auditum excogitare. Nam tu si modo iam
aliquis es in poetis, maiore cum laude, atq; rectius ex Ho-
meri poemate Tragædiam cōcinnabis, quam si proffer-
res ignota, & indicta primus. Id facillimè assequeris,
& ex communi materia propriam efficies, si aliquos
orbes, & periodos nullius veneris, & facillimæ diligen-
tiæ prætereas: & quum aliquid accipis à poeta, non fue-
ris interpres fidus, vt verbum verbo reddere sit necesse:
nec ita filium poetæ tuæ ducas, vt in rupes, aut arctum locum
detrudatis, vnde refferre pedem aut non possis, aut operis
lex, (vt aliquid ad finem optatum ducas) non patiatur.

Annotationes.

Impiger, iracundus. Iulius Cæsar Scaliger in cen-
sura poetarum sugillat Homerum, quod Achillem
C: semper,

Q. Horatij Flacci

semper, & vbiq; vocet *πόδας ὄκυς*, idest, velocem pedibus, nam si Achilles aut sedet, aut concionatur stans, quid attinet illum appellari perpetuo epitheto *πόδας ὄκυς ἀχιλλεύς*. At si Scaliger aduertisset, quod ex hoc loco Horatiano fuerat aduertendum, moderatius erga Homerū se gereret. Impiger vertit Horat. *πόδας ὄκυς* Hoc epitheto cupiebat honorari Alexander ille Magnus, qui quum ab eo quæreretur, quo pacto tam breui tempore tot res gestas confecisset, *μὴδ' ἐν* respondit *ἀναθάλλόμενος*, idest, nihil in crastinum relinquēs. Et Iulius Cæsar, quum Alexandri statuam intueretur, suspensia duxit, quod ipse Alexandrum ætate superans eius nondum facta, & res gestas exæquauisset.

Quare Iustinianus in l. 1. C. d. veteri iure emulcando, dicit. Omnia n. merito nra fecimus, q. ex nobis omnis eis impertitur autoritas, Nam q. non subtiliter factū emendat, laudabilior est q. primus inuenit.

Difficile est proprie. Communia vocat Horatius quæ possunt esse multorum, quasi dicat: difficilius est Achillem ab Homero sumtum in actus disponere, quam nouam personam fingere: vnde cum maiore honore, & elegantius efficies propriū, quod omnibus patebat, quā si noua tu ipse primus produceres.

Rectius Iliacum. Idest, cum maiori honore, id enim significat rectius apud Horatium, vt lib. 1. epist. 17. Redat hoc, & splendidius multo est. Et rectè (quod Hispanè dicimus honradamente.) Horat. Saty. 7. serm. 2. ocia recte ponere. Ibid. Saty. 8. Præcincti recte pueri, comitūque ministrent. Male hæc interpretes.

Circa patulum orbem. Orbem vocat, quod Græci periodum, Latine etiam dicitur ambitus, circuitus, circumscriptio. Cicer. in Orat. in Tucidide, orbem orationis desidero. Idem. 3. Orat. quum circuitum, & quasi orbem verborum conficere non possent.

Vnde pedem refferre. Refferre duplici ff, legendū est, vt notat Lamb. quod & Turnebus approbat, & ante eos Achilles Staius, qui ex antiquissimo codice hanc scripturam reposuit. Virg. 4. Georg.

Iamq;

Iamq; pedem refferens casus euaserat omnes.

Re perpetuo breuis est, poteris tamen producere, si duas addas consonantes, reffero, rettulli, rellatum, repperi.

De seruando decore circa describendas ætates.

TV, quid ego, & populus mecum desideret, audi.

Si plausoris egēs aulæ amamentis, & vsque

Sessuri, donec cantat, vos plaudite, dicat:

Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores,

Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo

Signat humum, gestit paribus colludere, & iram

Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,

Gaudet equis, canibusq;, & aprici gramine campi,

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,

Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,

Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix.

Conuersis studijs, ætas animusq; virilis

Quærit opes, & amicitias, inseruit honori:

Comisisse cauet, quod mox mutare labore.

Multa senem circumueniunt incommoda, vel quod

Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vtri:

Vel, quod res omneis timidè, gelidèq; ministrat:

Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,

Difficilis, querulus, laudator temporis acti

Se puero, censor, castigatq; minorum.

Multa ferunt anni venientes commoda secum:

C 3 Multa

Adag. Vsq; ad plaudite. Turneb. li. 9. cap. 29.

Adag. Cera tractabilior.

Adag. Semper superioris anni puentus melior.

*Multa recedentes adimunt, ne forte seniles
Mudentur iuueni partes, pueroq; viriles.
Semper in adiunctis, a quoq; morabimur aptis*

Ecphrasis.

PRæscripsi, quid sit faciendum, quum fabulam ex cõ-
muni acceptam facte propriam conaris. Nam se-
quenda fama est, nec ab illa vnquam discedendum. Si ve-
ro nouam fabulamingas, quid deceat maxime & præci-
pue obseruandum sit, dilucide demonstrabo. Si vis, in-
quam, fabulam perfectam effingere, cui applaudatur,
quam vsque ad Plaudite, sedentes spectent: nulla re me-
lius id assequeris, quam si omni ætati quid sit decens, &
decorum animaduertes. Id te oportuit ex diuersis au-
toribus, qui moralem philosophiam tractant, perscruta-
ri, & collegisse. Sed ne tempus teras immensum in re per-
quirenda, paucis his versiculis, quid propriè vnique
sit tribuendum ætati, subministraui.

Annotationes.

Si plausoris eges. Græco more genitiuū verbis iun-
gunt Poetæ: sed nec Græce, nec Latine verbū vllū geniti-
uū regere reperietur. Sed quia Græci sapissime vtuntur
genitiuo suppressa ex vel ἐξ, præpositione, Latini sibi
eam phrasim arripuerūt, quāuis genitiuo locus apud La-
tinos nō sit. Apud Home. est *ἀκρε ἐριδος*, & *ἀκρε χόλου*
id est, desine contentionis, abstine iræ. Hinc Horat. desine
mollium querelarum, & abstine irarum calidæq; rixæ.
Sed non ideo præcipiendū Græmaticis est, abstineo ira-
rum, neutrum esse primæ (vt somniant) speciei. Sed hæc le-
uia. Illud magis aduertendum, quo sensu dixerit Horat.
Si plausoris eges, & in epistolis: *Panc egeo iam?* Nā hic
egeo non significat esse in egestate, aut necessitate, sed
peculiaris cuiusdam est significationis, vt illud Martia-
lis. *Ficosa, est vtor, ficosus & ipse marit⁹: sed nec villicus
vlcere*

vlcere turpi Eget, id est, caret, aut alienus est.

Laudator temporis acti se puero. Quærit Lauren-
tius Valla possit ne dici Latine. Me puero audiui, & con-
tendit posse dici ex hoc Horatij testimonio, sed ille ma-
le hic constituit: nō enim dicendum est: *laudator se pue-
ro: sed temporis acti se puero: id est temporis quod actū
est se puero.*

**Non omnia in tragœdijs agenda,
sed multa tanquam acta recitanda.**

A *Vt agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos dimissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Dignageri, promes in scenam: multaq; tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumq; ostendis mihi sic, incredulus odi.*

Adag. Ocu-
lis magis
habenda fi-
des, quam
aurib.

Contra Eu-
ripidem ex
Arist. poe-
tica.

Ecphrasis.

Diximus de decoro personarum, nūc de rebus ipsis,
quæ aguntur, dicendū est. Quoniam oculis (vt est in
proverbio) magis habenda fides, quā auribus: quæ digna
sunt visu, ne narrentur vt facta, & transacta. Non tamen
propterea cuncta sunt oculis subijcienda, etiam si mi-
randa sint. Melius etenim facundia præsens hæc narra-
bit: *Lamiam deglutisse puerum, quem viuum ex eius
ventre patres extraxerunt, quā id factum oculis
ostendatur.* Simili modo, nec *Medea suos filios co-
ram trucidet, sed trucidasse narretur, nec Atreus filios
coquat, aut Progne vertatur in hirūdinem, aut Cadmus*

in Anguem, Hæc enim, & similia quia non credibilia sunt, odium potius inducunt, quam admirationem.

Annotationes.

Segnius irritant. Quia dixerat Democritus νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦ ἀκούει, cæt. idest, Mens videt, mens audit, cætera omnia surda & muta: Horatius dixit: demissa per aurem segnius commouent animos. Quasi dicat oculi non vident, nec aures audiunt, sed per hos sensus animus commouetur. Vide hic Lamb.

De partibus fabularum, & de personarum numero.

Adag. Supremum fabulæ actum addere.

NEue minor, neu sit quinto productior actu Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi. Nec Deus intersit nisi dignus vindice nodus Inciderit: nec quarta loqui persona laboret.

Ecphrasis.

Iam deinceps de partibus ipsius fabulæ, & de numero personarum ratio postulat, ut disseramus. Quum tragœdia, sit vnus solis, idest, vnus diei representatio, in quinque actus commodè diuidetur. Hoc est in quinque confabulationes, quarum vna quæq; suam comœdiolâ absoluit, & proscenium deseritur à personis vacuum. Personas deorum inserere, nec decus est, nec necessariû, nisi talis nodus incidat, ut humana diligentia dissolui non possit, quatuor personæ simul confabulantes non patitur decor, sed si quatuor adesse necesse sit, vna illarum, aut etiam duæ secreto, & velut sermonem captantes loquantur. Vide hic Lambinum.

De

De choro, & eius officio.

Actoris partes chorus, officiumq; virile Defendat: neu quid medios intercinat actus, Quod non proposito conducatur, & hæreat apte. Ille bonis faueatq; & consilietur amicè: Et regat iratos, & amet pacare timentes. Ille dapas laudet mensæ breuis: ille salubrem Iustitiam, legesq; & apertis otia portis. Ille tegat commissa: Deosq; precetur, & oret, Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Turneb. li. 19. cap. 9.

Turneb. li. 19. cap. 9.

Ecphrasis.

Officium chori iudico esse officium virile defendere, hoc est ut virtutis partes tueatur. Nihil in super inter medios actus canat, quod ad propositum tragœdiæ non faciat. Fauet bonis, & amice illis concilietur. Et regat iratos, & amet timentes peccare. Laudet item frugalitatem, laudet iustitiam, atque leges, Deis item supplicet pro miseris, & infortunatis, & contra superbos fortunam, ut ab illis secedat, comprecetur.

Annotationes.

Actoris partes chorus. Chorus inducebatur in tragœdijs, ut intelligeretur, quis esset sermo popularis, dum Hercules insaniret, vel Phædra deperdendo Hippolyto consilium iniret, isque aliquando agebat partes Actoris, id est, vel laudabat, vel improbabat, quæ actor ipse, vel laudaret, vel improbaret. Sed si legas Auctoris partes defendat, quod rectius puto hic est sensus. Tragœdi (ut ait Martialis in epist. lib. 2. vtebatur prologo aliquo, vel epist. quæ pro se loqueretur apud Cæsares, vel apud popu-

populum, quia videlicet in ipsa actione actionem suam, vel tragœdiæ autorem laudare non poterant. Itaq; inquit Horatius defendat chorus poetæ, dicatque recte, & ex more fixisse Poetam illos actus.

Officiūq; virile. Querit Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 7. quod nam sit proprium hominis officium, hominis, inquam, non quatenus præses, episcopus, aut Senator est, sed quatenus homo. Concludit tandem Arist. viuere secundū virtutem, id demū esse propriū hominis officium.

De tibijs, tibicinibus, & fidicinibus.

Tibia non, vt nunc, orichalco iuncta, tubaq;
Æmula, sed tenuis, simplexq; foramine paucō
Aspirare, & adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.
Quo sane populus numerabilis, vt potè paruus,
Et frugi, castusque, verecundusq; coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor, & urbem,
Latior amplecti murus, vinoq; diurno

Turneb. li. 19. c. 9. Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisq; modisq; licentia maior.
Indoctus quid enim saperet, liberq; laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic prisca motumq; & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitq; vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces creuere seueris:
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps.
Vtiliumq; sagax rerum, & diuina futuri,
Sortis legis non discrepuit sententia Delphis.

Non

Ecphrasis.

Non audeo reprehendere luxuriam, & apparatus tibiarum & tibicinum nostri temporis, etiam si cōtra decorum, & præter morem priscum sobrietatis tragœdijs admisceantur. Nā olim ad fabulas audiendas populus castus, frugi, & verecundus accedebat, & cum pauci conuenissent, tibia tenuis, simplex, & foraminibus paucis satis erat. Sed postquam Roma facta est amplior, & in dirionem suam vicinos populos subegit, omnes cōuoluebatur permitti in theatro, sine lege, atque ordine. Atque adeo cibo, & potu repleti, quia iam sacrificauerant, nec enim vitio dabatur de die potare, si id in sacris fieret. Tunc, inquam, permissum fuit, vt maiores tibiæ, & ornatiores, & tubæ pares in theatrum inducerentur. Atque adeo eo licentiæ processerunt, vt tibicines, non iam sedentes sed longis, & pretiosis induti vestibibus per theatrum deambularent, vt simul à doctis, & indoctis, rusticis & urbanis exaudirētur. Fidicines item contra seuerum, & antiquum morem chordas fidibus addiderunt: & non iam triualibus canticis contenti sententias non dissimiles Delphicis oraculis concinuerunt.

Annotationes.

Indoctus quid enim. Non accedo alijs. Sensus est, Maiore tuba opus fuit propter ignorantiam vulgi, & propter stipatam multitudinem. Melius enim, non tamen suauius, maiorum instrumentorum sonitus, & quasi tonitrua percipiuntur.

Et tulit eloquium. Facundia illa fidicinum, ita elaborata, & eloquens sese extulit, vt prouidens, & saga, & diuinatrix rerum vtilium iudicaretur, quemadmodum Apollinis oracula credebatur. Præceps autem est quod ante capit, id est, prouidens, vel obscura, & quasi enthea, vt fatidica.

De

De Saturis, siue de Episodijs
inter actus.

CArmine qui Tragico vilem certauit ob hircum
Mox etiam agresteis Saturos nudauit: & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eo, quod
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq; sacris, & potus, & exlex
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conueniet Saturos, ita vertere seria ludo:
Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut dum vitat humum nubeis, & inania captet.
Effutire leueis indigna Tragœdia versus
(Vt festis matrona moueri iussa diebus)
Intererit Saturis paulum pudibunda proteruis.
Non ego inornata, & dominantia nomina solum,
Verbaq; Pisones, Satutorum scriptor amabo:
Nec sic enitar tragico differri colori
Vt nihil intersit Dausus ne loquatur, an audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum:
An custos, famulusq; Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, vt sibi quiuis
Speret idem, sudet multum, frustra q; laboret,
Ausus idem: tantum series iunctura q; pollet,
Tantum de medio sumtis accedit honoris.
Siluis deducti caueant, me iudice, Fauni,
Ne velut innati triuijs, ac pene forenses,

Aut

*Aut nimium teneris iuuenentur versibus vnquam:
Aut immunda crepent, ignominiosaq; dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res:
Nec si quid fricti ciceris probat, & nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donant ve, corona.*

Adag. Cice-
ris emtor.

Ecphrasis.

QUum antea tragœdia tota esset lacrymabilis, &
aspera, postea inuentum est ab ipsis poetis, quomo-
do seruata grauitate tragœdiæ ridere possent
auditores. Inuenta igitur sunt Epipsodia, idest, genus
quoddam fabularum, quod caneretur, siue ageretur inter
actus tragœdiarum. Sed ille fabulæ interlocandæ in per-
sonis Satutorum, aut Faunorum melius explicare cen-
suerant, quam in vilium seruorum, & congerronum ser-
monibus. Sed ego ita iubeo has actiones Satutorum attem-
perari, vt nec versibus tragicis & inflatis recitentur, nec
rursus humi repant, & à tragœdiæ grauitate desciscant.
Nec etiam velim, vt qui modo agit, vel deum, vel herosa,
idem humili sermone saturos agens iaducatur, aut etiã
grauissimis verbis ad nubes, & inania ætheris videatur
euolare. Sed ita tragœdia saturis intererit, vt matrona,
quum festis diebus inter villicos vt saltet rogata, nõ sal-
tat, sed tamen pudibunda cum decoro mouetur. Quod
si dicas te non posse componere Saturos sine verbis in-
ornatis & dominantibus, ita vt clare & palam vnicuiq;
rei, etiam oscenæ, verba propria reddantur: dicam tibi,
facile esse homini experto ex tritis vulgo verbis sine
vllis ornamentis (dum modo callida iunctura, vt dixi nõ
desit) telam posse texere, qua facile possint Saturi di-
scriminari in tragœdis à facetis personis seruorum, vel
ancillarum in comœdijs. Possum ego ex notis verbis
carmè effingere, quod quiuis se posse putet idem facilli-
me adsequi, sed quum idem facere tentauerit, ludet ope-
ram,

Isocrat. Pa-
nath.Cœl. Rho-
di. li. 8. c. 8.
de triplici
scena.

rá, si caret arte. Quapropter, enitendum est, ut quum iam saturos, vel Faunos nudaveris in tragœdia, ne loquantur spurce, aut triivialia dicteria crepent, aut nimium iuvenilia verba effutiant. Nam sic non solum equites, & patricij offenduntur, sed nec etiam ex trivio homines, & qui cicer frictum & nuces plebeculæ vendunt, id possunt approbare, aut præmio dignum existimare.

Annotationes.

Agit hic Horatius de Epipso. tijs, quos Hispani vocat Entremeses, quia inter medios actus inserantur. Epipso. dium (teste Suida) est, id quod inducitur, & adijcitur præter legitimam fabulam risus gratia. In comœdia callidus Dauus, aut audax ancilla Pythias, quum emunxit talento senem, hos risus mouet: at in tragœdia grauioribus aliquanto personis id tribuendum, quales sunt Sileni, Fauni, Saturi, qui salua tragœdiæ grauitate moderatos risus mouere, non cachinnos debet excitare.

Effutire leues. Ordo est, tragœdia, quum sit indigna effutire leues versus, intererit paulum pudibunda Saturi proteruis, quemadmodum matrona iussa moueri inter paganos festis diebus. Porro intererit, idem valet quod immiscebitur. Cicer. in epist. qui nostro sermone interfuit. Idem qui non solum interfuit, sed etiam præfuit.

De primis inuentoribus tragœdiarum, comparat antiquos Græcos cum sui temporis Latinis.

Ignotum tragica genus inuenisse camœnæ
Dicitur & plaustri vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentq; peruncti facibus ora.

Post

Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ
Æschylus: & modicis instravit pulpita tignis
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.
Successit vetus bis comœdia, non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusq;
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetæ:
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausu deserere, & celebrare domestica facta,
Vel qui Prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis
Quam lingua Latium; si non offenderet vnum-
Quemq; poetarum limæ labor, & mora. Vos ô
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigauit ad vnguem.

Adag. Ad
vnguem.

Ecphrasis.

Absolutis partibus comœdiæ, & tragœdiæ, restant (vt nihil quæ ad fabulas attinent trāseamus) quæ notari non sit præter inceptum. Dicemus igitur de primis inuentoribus tragœdiarum: deinde quæstionem absoluemus, ingenium ne, an ars plus in componendis carminibus operetur. Thespis igitur Poeta primus inuenit Tragicum dicendi genus, sed nec personam, nec fixum & stabile theatrum inuenit: nam in plaustri per vias, & vicus ferebat actores, & sine personis illis, tantum facibus facie peruncta in theatrum educerat. Æschylus post hunc cothurnos, pallam, & aulæa, cæteraq; addidit ornamenta.

Vetus

Vetus comœdia successit, in cuius choris vitia publica notabantur. Sed postea lege lata chori sunt sublati, quia turpiter nocendi ius publicatum fuit. Hęc de Græcis. Nostri autem Latini, & Græcos sunt imitati, & proprio etiam marte togatas, & prætextatas comœdias in lucem protulerunt. Et credo, non solum armis, sed etiam eloquio Græcos superassent, si modo limare, dolare, polire cum aliqua mora ea, quę scripserunt, sibi imperassent. Quare vos Pisones generosi, qui à Numa Pompilio genus ducitis, nolite laudare carmen, quod multum diuq; limatum, atque expoliturum non sit.

Annotationes.

Personæ repertor. *ὑπόσωπον* vel *ὑπόσωπείον* dicuntur fictæ facies, ut ne verę actorum facies agnoscantur. Persona igitur semper hoc significat, unde personatus histrio, & personata herba, quę folia habet latissima, ex quibus olim pueri personas sibi effingebant. Nostri Grammatici fœde pessime decepti personas agentes, & patientes inuenerunt, ut in hac oratione: Petrus legit carmina. Petrus (inquiunt) est persona agens, & carmina persona patiens. O monstrum horrendum, informe cœcum, & Grammaticorum abortu dignum: Persona in verbis solum modo reperitur, & est terminatio illa seu facies, quam triplicé ostendit verbum in utroq; numero, primam, secundam, tertiam, ut legi, est prima persona, legisti, secunda: cæt. unde recte dicitur. Petrus est, tertię personæ suppositum: Item recte dicitur. Petrus est tertię personæ ego est primæ, tu secundæ, non autem prima, aut secunda.

Iupiter obtulit. Ordo est: Chorus atque obtulit, sublato iure nocendi Iupiter.

Nil intentatum. Cicero dicit, nostros aut melius inuenisse, aut inuenta à Græcis fecisse meliora.

Contra

Contra illos qui naturam arti præponebant, vera præcepta, in quatuor capita diuisa.

Ingenium misera quia fortunatius arte
 Credit, & excludit sanos Helicone poetas
 Democritus: bona pars non ungueis ponere curat,
 Non barbam: secreta petit loca, balnea vitat.
 Nanciscetur enim pretium nomenq; poetæ:
 Si tribus Antyciris caput insanabile nunquam
 Tonsori Licino commiserit. O ego læuus!
 Qui purgor bilem sub verni temporis horam.
 Non alius faceret meliora poemata: verum
 Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis: acutum
 Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.
 Munus, & officium, nil scribens, ipse docebo.
 Unde parentur opes: quid alat, formetq; poetam:
 Quid deceat, quid non: quo virtus, quo ferat error.

Adag. Nanciscetur Antyciras.

Ecphrasis.

Quia dixit Democritus poetas non fieri, sed ingenio & natura constare: maxima pars poetarum ne videantur miseræ arti aliquid tribuere) secreta petit loca, non barbam, non ungues deponit, non balnea frequentat, sic enim credit facile nomen poetæ, sibi comparari: si nunquam caput (quod alias tota Antycira non purgabit) tonsori expurgandum commiserit. O me læuum, & miserum, qui sæpe purgor vere ineunte. Quod si non fieret, nemo me poeta dexterior extitisset. Sed valeant poemata, non enim tanti mihi est esse poetam, quam capite viuere puro, & defæcato. Attamen quid prohibet, me limam esse poetarum, etiam si poeta non sim?

D Nam

Nam & cotes dant ferro aciem, quum ipsæ aciem non habeant. Si me igitur audies, quatuor tibi præceptorum formas, & documenta dabo, quibus instructus addiscas

Vnde parentur opes:

Quid alat, formetq; poetam:

Quid deceat, quid non:

Quo virtus, quo ferat error:

Annotationes.

Si tribus antyciris. Antycira non insula est, sed inter Achaicæ vrbes vna celebris eleboro, qua herba purgabantur Romani. Vnde prouerbiū contra insanos: Bibe eleborum. Hisp. vedegambre,

Qui purgor bilem. Purgor legendum, non purgo & deest *κατὰ* vt, fragitur membra: expleri mentē nequit.

Vnde parentur opes.

Scribendi rectè sapere est, & principium, & fons.

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chariæ.

Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur

Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis

Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes.

Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quæ

Partes in bellum missi ducis: ille profectò

Reddere personæ scit conuenientia cuiq;

Respicere exemplar vitæ, morumq; iubebo

Doctum imitatore; & veras hinc ducere voces.

Interdum speciosa iocis morataq; recte

Fabula nullius Veneris, sine pondere, & arte

Valdius oblectat populum, meliusq; moratur,

Quam versus inopes rerum nugæq; canoræ.

Adag. Bul-
latæ nugæ.

Graijs

*Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris.*

Romani pueri longis rationibus assem

Discunt in parteis centum diducere: dicat

Filius Albini. Si de quincunce remota est

Vncia, quid superat? Poteras dixisse: Triens: Eu

Rem poteris seruare tuam. Redit vncia: quid fit?

Semis. An hæc animos ærugo, & cura peculi

Quum semel imbuerit speramus carmina fingi.

Fosse, linenda cedro, & leui seruanda cupresso?

Adag. Di-
gna cedri.

Ecphrasis.

Scribendi rectè fons est ipsa sapientia. Nā sine sapientia & perfecta doctrina frustra ad ingenium & naturam confugies. Materia oratoris & poetæ (vt diximus) constat ex rebus, & verbis. Sed tibi rerum præcipua cura sit, nā rebus inuētis, & perceptis facile verba & nomina coaptantur. Rem non aliunde quam ex penetralibus philosophiæ, præcipue moralis, qualis Socratica fuit, poteris indagare. Si enim ignores quid patriæ debeas, quid amicis: quo sit prosequendus amore pater, frater, & alienus: si nescias quod sit senatoris, & iudicis officium, quæ sint partes ducis ad bellum missi, quomodo propriè poteris unicuiq; personæ munus conueniens assignare? Iubeo itaq; doctum poetam, vt proponat sibi ad imitandum vitæ atq; morum exemplar, nā si diligenter naturam intuearis, vix errare poteris. Imo vero id affirmo, magis, & validius commoueri, & excitari populū fabulis bene moratis, sine pondere & arte confictis: quam verbis inflatis, & sublimibus sine rebus, & sententia. Græcos itaq; semper enseo imitandos, qui nullius rei auari sunt, præterquam iudis, & gloriæ? Nā à Romanis quid speremus, qui pueros suos sic instituendos curant, vt arte numerandi euasiant quā instructissimi, discunt enim assem, non tantum

D. 2 in

Q. Horatij Flacci

In duodecim partes, vt moris est, disseccare, sed etiã in centum particulas deducere. Dicat, verbi gratia, filius Albinus: Si de quincunce auferas vnciam, quid remanet? cito responde, quid moraris? iam oportuit dixisse, Triens inquit: Euge laudo: sic enim tuam rem poteris conseruare. Redit vncia, inquam, quid fiet. Respondet: Semis, Antu, quum hæc mala ærugo, & cura peculij animos semel imbuerit, sperabis carmina posse fingi, quæ cupresso, & cedrinis tabulis includi mereantur?

Annotationes.

Rem tibi Socratica. Rem vocat argumenta præulsa, & sententias è philosophia petitas. Nam vt diximus, omnis materia oratoris in rem & verba diuisa est. Vnde Cicer. in. 2. Orat. verba igitur mihi reliquit Antonius, rem ipse sumsit.

Quam versus inopes rerum. Cicer. Orat. Si res non subest ab oratore percepta, & cognita, aut nulla sit oratio necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum, atq; lectissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec scientia. Ex his Ciceronis verbis non mediocriter illustratur Persius in prima satira, qui poetas sui temporis picas, & pitacos recte vocat, qui verba sine sensu, & re, atq; medulla garriant. Nec reprehendit illa carmina identidem citata, quia mala carmina sint: quid enim mollius & dulcius quam,

*Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin, Et
Sic costam longo subdiximus, Apennino. cæt.*

Sed ideo reprehendit quia solum carmina sint sonora, dulcia, mollia, sed rebus carentia, ac proinde furiosa. Fallitur Quintilianus, cum cæteris Grammaticis, quum putat vitiosum esse carmen, quum cluditur Armamentis, Oriona, Apennino. Nam Homerici versus non fere aliter clauduntur, quo pede poetæ Latini parcius vtuntur, quia

quia nimium delicate sonat, & molliter, & Latini (vt ait Martialis) musas colimus seueriores.

Poteras dixisse. Locus obscurus, & male dispositus. Sic dispūge: si de quincunce remota est vncia, quid superat? Poteras dixisse, triens? poteras dixisse, sunt verba interrogantis, & instantis, vt propere, & sine cunctatione, respondeat puer, cui puer propere respondet, dicens, triens superat. Poteras dixisse. Hispanè, ya auia de estar dicho, idest iam oportuit te responsum dedisse.

At hæc animos. Alij legunt ad hæc animos, mihi placet, an hæc animos.

Quid alat, formetq; poetam.

A Ut prodesse volunt, aut delectare poetæ
 Aut simul & iocunda, & idonea dicere vita.
 Quidquid præcipies esto brevis: vt cito dicta
 Percipiant animi dociles, teneantq; fideles
 Omne superuacuum pleno de pectore manat.
 Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
 Nec quodcunq; volet, poscat sibi fabula credi:
 Neu pransæ Lamia viuum puerum extrahat aluo.
 Centuriæ seniorum agitant expertia frugis:
 Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes.
 Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,
 Lectorem delectando, pariterq; monendo.
 Hic meret æra liber Sosis, bis & mare transit.
 Et longam noto scriptori prorogat æuam.
 Sunt delicta tamen quibus ignouisse velimus.
 Nã neq; chorda sonũ reddit, quæ vult manus, & mēs
 Poscentiq; grauem persæperemittit acutum.

Adag. Gra
ta breuitas.

Turneb. li.
19. c. 9.
Adag. Om
ne tulit pũ
ctum.

Adag. Pro
cridis telū. *Nec semper feriet quodcunq̄ minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura: quid ergo?
Ut scriptor si peccat idem librarius vsque,
Quauis est monitus venia caret; & citharædus
Ridetur chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat fit Cherilus ille,
Quem bis, terq̄ bonum cum risu miror: & idem
Indignor, quandoq̄ bonus dormitat Homerus:
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.*

Adag. Ea-
dem ober-
rare chor-
da.

Annotationes.

Quidquid præcipies esto breuis. Quid sit breuitas apud Rhetores pauci admodum intelligunt, imo multi decipiuntur, ex illo Horatiano, Breuis esse laboro, obscurus fio, breuitas in scriptoribus, summa virtus est. Ea nõ debet esse concissa, nec trunca, tunc enim obscurus erit scriptor, sed ornata, polita, & picturata, non tamen plus, aut minus dicat quam necesse sit.

Quandoq̄ bonus. id est, quotiescunq̄, vel quodcunq̄. Hæc vox quandoq̄, male accipitur, a Grammaticis, nihil enim minus significat, quam quod illi somniant, vide late nostram Mineruam.

Quid deceat, quid non.

Adag. Libe-
ri poetæ &
pictores. *Ut pictura poësis: erit, quæ si propius stes
Te capiet magis, & quædam, si longius abstes;
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri*

Judicis

*Judicis argutum, quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
O maior iuuenum, quauis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapiis; hæc tibi dictum
Tolle memor: certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris, & actionum
Causarum mediocris adest virtute disertæ
Messalæ, nec scit quantum Cassellus Aulus:
Sed tamen in pretio est: Mediocribus esse poetis
Non homines, non dii, non cõcessere columna.
Ut gratas inter mensas symphonia discors
Et crassum unguentum, & sardo cum melle papauer
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis:
Sic animis natum, inuentumq̄, poema iuuandis,
Si paulum summo discessit, vergit ad imum.
Ludere, qui nescit campestribus abstinet armis,
Indoctusq̄; pilæ, disci ve, trochi ve quiescit:
Ne spissæ risum tollant impunè cordæ.
Qui nescit, versus tamen audet fingere: quid ni?
Liber, & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam numerum, vitioq̄ remotus ab omni.
Tu nihil inuita dicēs, facies ve Minerva.
Id tibi iudicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris in Mecij descendat iudicis aureis,
Et patris, & nostras: nonumq̄; prematur in annū:
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non ædideris: Nescit vox missa reuerti.
Syluestres homines sacer, interpretesq̄; Deorum
Cadibus, & victu fædo deterruit Orpheus:*

Adag. Bis
ac ter quod
pulchrum
est.

Adag. Crâ
be bis posi
ta.

Adag. O-
portet re-
mum duce
re, qui didi
cit.

Adag. Inui
ta Miner-
ua.

Adag. Festi
na lente.

Turneb. li.
17. c. 17.

Adag. Le-
uissima res
oratio.

4

Dictus

Dictus ob hoc lenire Tygres, rabidosq; leones.
 Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
 Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
 Ducere, quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam.
 Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
 Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
 Oppida moliri, leges incidere ligno:
 Sic honor, & nomen diuinis patibus, atque
 Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
 Tyrteusque mares animos in Martia bella,
 Versibus exacuit: Dictæ per carmina sortes
 Et vitæ monstrata via est: & gratia regum
 Pierijs tentata modis, ludusq; repertus:
 Et longorum operum finis, ne forte pudori
 Sit tibi Musa lyrae solers, & cantor Apollo.

Ecphrasis.

VT pictura poësis (aiunt) est enim aliqua pictura
 quæ propius, alia quæ longius posita delectat,
 quædam amat obscura loca, quædam lucem, ea videli-
 cet, quæ iudicis arguti non timet acumen, quædam etiã
 semel visa placuit, alia decies repetita placebit. Hæc &
 alia pulchrè dicuntur, sed quomodo poësi possint ad-
 aptari non video? Tu autè maior iuuenum (adultioribus
 enim hoc præceptum competit) sic habeto. Mediocri-
 bus poetis nusquam esse locum, Iurisconsultus medio-
 cris ferri potest. Actor item causarum mediocris in pre-
 tio est: in poësi tamen, quidquid non summum est, repe-
 re dicitur. Quemadmodum enim in conuiuio lauto po-
 teris musica, & vnguentis & melitis placentis super sede-
 re, nisi sint hæc eximia, & præclara, sic in iuuandis & mul-
 cendis animis (ad quod munus inuentum est poema) me-
 diocris

diocris poësis non est necessaria. Quum tamen hæc sint
 Pythijs oraculis veriora, nemo fere est, qui non se nomi-
 nari poetam non indignetur, quid nisi liber sum dicet, &
 ingenuus: ac à vitijs alienus, & insuper eques Roma-
 nus. Quanto rectius illi, qui vocati ad arma in campo
 Martio, aut iactum disci, aut ad pilæ, trochive ludum in-
 uitati se excusant, quia id non didicerint, ne astantibus
 risum moueant, tu autem o maior iuuenum, consule Mi-
 neruam, nec tibi alium iudicem, aut iudicium compara-
 bis: quæ scripseris, trade doctis corrigenda, deinde per
 aliquot annos in scrinijs seruabis, vt possis quotidie,
 aut subinde mutare, delere, corrigere, quod facere non
 poteris, si statim in vulgus præcipites. Nescit enim vox
 missa reuerti. At dices: quid pro tantis, & tot laboribus
 præmij consequar? Dico tibi, nihil esse in humana vitã
 boni, quod non poësi refferre debeamus acceptum. Nã
 Orpheus ille, ideo dictus est lapides mouisse, & arbores
 traxisse. Item Amphionem quoq; cantu Thebanos mu-
 ros instruxisse: quia siluestres homines ad politiam, & le-
 ges, & ad agendam vitam suauiore cantu suo potue-
 runt pellicere, & attrahere. Illis debemus leges diuinas,
 & humanas, connubia stabilia, & ciuitatum molimina.
 Inde iam cæperunt vates vocari diuini. Nam sortes, &
 oracula carmine composita dabantur. Post hos insignis
 fuit Homerus, qui non solum bella, & bellorum doctri-
 nam, conscripsit, sed hymnos in deorum laudes compo-
 suit excellentes. Quem etiam secutus est Tyrteus, qui so-
 lis carminibus virtute Lacedæmonios ad bella reddidit
 fortiores. Gratia maiorum regum cantu musarum est im-
 petrata. Quare nõ est, quur nomẽ poetæ tibi putes dede-
 cori, cui præsumt & Musæ, & ipse pater musarũ Apollo.

Annotationes.

Vt pictura poësis. Locus obscurus, nec ante me à
 quoquam intellectus. Sic est dispungendus: vt pictura,
 poësis: erit, quæ si propius stes. cæt. id est, iam persuasum
 est

est omnibus ex Platone, Aristotele, & alijs, Picturam simillimam esse poesi: Atque ita quemadmodum sunt variae picturarum formae, ita etiam esse posse poeseos. Ego vero nil minus approbo: imo vero illud affirmo: poetam, nisi summus fuerit, procul reiiciendum.

Mediocribus esse poetis. Hoc dictum videtur improbare Cicero in Oratore perfecto, sed non improbat. Nam omnes poetae, quos celebravit antiquitas, sancti sunt, nullus mediocris, etiam si Lucanus minor sit Virgilio, nec potest fieri collatio Virgilij ad Terentium, vel Senecam, quoniam diuersi sunt generis, & in vnoquoque quisque maximus. Verba Ciceronis citat Lambinus.

Et sardo cum melle pap. Periphrasis est placentae, quas in secundis mensis apponebant, de ijs placentis intelligo Virgilianum illud. A. Enci. 4.

— Epulasq; draconi, Quae dabat.
Spargens humida mella soporiferumq; papauer.
Quod viris doctissimis semper negotium exhibuit.

Quo virtus, quo ferat error.

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quaesitum est. Ego nec studium sine diuite venas
Nec rude quid profit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitq; puer, sudauit, & alsit:
Abstinet Venere, & vino: qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.
Nunc satis est dixisse: ego mira poemata pango.
Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est:
Et quod non didici sane nescire fateri.

Adag. Nec
cōpluitur,
nec sole
aduritur.

Vi

Vt prece ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Diues agris, diues positus in faenore nummis.
Si vero est, vinctum qui recte ponere possit,
Et spondere leui pro paupere: & eripere atris
Lutibus implicitum; mirabor, si sciet inter-
noscere mendacem verumq; beatus amicum.
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Latitiae. Clamabit enim pulchre, bene, recte:
Pallefcet super his, etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram:
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt;
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
Derisor vero plus laudat ore vnouetur.
Reges dicuntur multis vrgere colullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
Aut sit amicitia dignus: si carmina condas,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio, si quid recitares, corrige, sodes,
Hoc aiebat, & hoc, melius te posse negares,
Bis, terq; expertum frustra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum, quam vertere mallets,
Nullum vltra verbum, aut operam sumebat inanē.
Quin sine rivali teq; & tua solus amares.
Vir bonus, & prudens versus reprehendet inerteis
Culpabit duos, in comitis allinet atrum
Transuerso calamo signum, ambiciosus recidet

Satur. 2.
lib. 1.

Adag. Veri-
tatis sim-
plex ratio.

Adag. In
vino veri-
tas.

Adag. In-
cudi redde
re.

Adag. Sine
rivali dili-
gere.

Adag. Vn-
gui notare.

Orna-

Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,

Adag. Stel Fiet Aristarchus, nec dicet, cur ego amicum
lis signare. Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent

In mala, derisum semel, exceptumq; sinistre.

Turneb. li. Vt mala quem scabies, aut morbus regius vrget,
s. cap. 25. Aut phanaticus error, & iracunda Diana:

Vas animum tetigisse timent, fugiuntq; poetam,
Qui sapiunt: agitant pueri, incautiq; sequuntur.

Hic dum sublimeis versus ructatur, & errat,

Si veluti merulis intentus decidit anceps,

In puteum, foveamve, licet succurrere longum

Clamet Id, ciues: non sit, qui tollere curet.

Si quis curet opem ferre, & dimittere funem:

Qui scis, an prudens huc se deiecerit, atque

Servari nolit? dicam. Siculiq; poetæ

Narrabo interitum. Deus immortalis haberi

Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Æthnam

Insiluit: sit ius, liceatq; perire poetis.

Inuitum qui servat idem facit occidenti.

Nec semel hoc fecit: Nec, si retractus erit, iam

Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.

Nec satis apparet cur versus factitet: vtrum

Adag. Min Minxerit in patrios cineres, an triste bidental

xit in pa- Moverit incestus, certe furit: ac velut vrsus

trios cinc- Obiectos caueæ valuit si frangere clatros.

res. Indoctum, doctumq; fugat recitator acerbus.

Quem vero arripuit tenet, occiditq; legendo,

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Qui

Ecphrasis.

Qui contendebant poetam sine arte fieri posse, longe ab scopo aberrabant: nec ego contendo totum hoc negotium ab arte pendere: imo potius ita disputo, neque ingenium sine arte, nec artem sine ingenio constare. Illud vero sine dubio perspicio & præcipio, sine exercitatione continua & laboriosa, nihil unquam spectandum & laudandum provenisse. Nam qui in Olympijs cæteros studet aut supplantare, aut incursum vincere, multa prius fecit, sudavit, alsit, abstinuit Venere & vino vires eneruantibus. Quin & cantores & cytharedi, qui in Pythijs palmam expectant, multis ante præceptionibus & exercitationibus prius exercentur. Itaque decet, imo expedit, ut gloriam poetæ consequatur, toto conatu, totisq; viribus in id negotium incumbat. Nam si secus autumet, ridebitur, exhibabitur, & pro ridiculo à pueris exagitabitur. Nostri satis sibi habent, si possint dicere in publico: Ego mira poemata pango. Si id verbis fit: occupet extremum scabies, nolo ego postremus esse, nam etiam si non didicerim, turpe nec irre dicere mihi erit. Nostri temporis poetæ, præsertim divites, ad lucrum vocant. Quid dixi vocant? imo cogunt cæteros pauperculos poetas, ut cogit ad merces emendas prece facetus. Atq; ita, si possunt spondere pro pauperibus, si possunt alios ad mensam ducere, & à litibus infestis liberare, quomodo poterunt assentatorem à vero amico discernere? Tu siue iam alicui donaveris aliquid, siue donare voles, hunc carminum tuorum iudicem, & emendatorem nunquam constitueris. Clamabit enim, pulchre, bene, recte, mutabit oris colorem, atque etiam præ ficto gaudio fictas lacrymas super papyrus instillabit: saliet, & tundet pede terram. Solent enim derisores plus moveri, quam qui ex animo laudant, quemadmodum qui conducuntur ad funus deplorandum dicunt & faciunt prope plura, quam qui ex animo dolent. Quanto rectius

rectius magni amici: qui in conuiujs & crebris cyathis
 examinant illos, quos in ambitum velint sibi adiunge-
 re. Fuge itaque dolos iudices tuis carminibus adhibe-
 re, qui astutam seruant sub calido pectore vulpecula.
 Tales tibi iudices delige qualis fuit Quintilius, cui quum
 aliquid recitares, dicebat: Corrige obsecro te hoc, &
 hoc. Si diceres, iam hoc ante mecum non semel perpen-
 di, sed non potui melius efficere. Dele igitur totum, aut
 male tornata carmina redde iterum incudi. Si tu tamen
 mallet defendere peccatum, quam corrigere, nullum vl-
 tra faciebat verbum, aut in cofutando inanem tumebat
 opera: sed tuos tibi iubebat habere amores, quos sine ri-
 uali solus amares: vir bonus & prudens versus sine arte
 reprehendet, duos culpabit, in comtos veru aut vngue
 transiget, ambitiosa & puerilia ornamenta circūcidet,
 obscuris lucem dare coget, ambigua vitari docebit, quæ
 mutari debent, notabit. Volo denique rectum iudicem
 fieri Aristarchum illum qui omnia notabat acriter, & ni-
 hil dissimulabat. Nec dicet illa trita: Quur ego amicum
 offendam in nugis? Hæ nugæ ducent credulum poetam
 in mala seria. Nam quum semel talis poeta cœperit esse
 derisui omnibus, & sinistre vulgo fuerit exceptus illū
 omnes tanquam vāsanum fugient, non aliter ac fugitur
 ille, qui contagiosa scabie peruritur, aut regio morbo
 grauat, aut quem agitat phanaticus error, aut irata
 Diana. Itaque hunc non solum qui sapiunt fugitāt, sed
 incauti pueri agitant, quos ille aliquando male multat.
 Hunc ego, si dum inflatos versus ructatur, in puteum
 aut in foueam, vt auceps dum volantes turdos testatur,
 decidat: non extollere curarem, licet contenta voce cla-
 maret: Succurrite ciues, tollite claudum. Imo ego idem,
 si quis opem ferre curet, abstine, dicerem, funem demit-
 tere: nec enim apertè scimus an hic sciens & volēs huc
 se immiserit, ita vt seruari nolit. Narrabo insuper illi
 Empedoclis Siculi poetæ mortem, qui dum conatur, &
 beri Deus immortalis, in craterem ardentis

Æthnæ

Æthnæ se præcipitauit, ne in terris mortuus conspice-
 retur. Concedatur hoc iuris poetis, vt se impune possint
 perimere. Adde etiam idem esse capientem mori prohi-
 bere, ac si cum occideres. Nec hoc nunc primum tenta-
 uit: nec si extractus erit, iam fiet homo, nam hanc mor-
 tem sperat sibi laudi fore, itaq; famosæ mortis nūquam
 amorem deponet. Nec satis nobis est manifestum, quod
 ob peccatum versus faciat, vtrum reuelauerit ossa pa-
 tris, & minxerit illa, an ex aliquo loco amouerit biden-
 tal timendum incestus ipse: certe furiosus est, & ideo fu-
 giendus; non minus ac versus qui detentus in cauea ef-
 fractis caueæ clathris potuit effugere. Sic hic furiosus
 recitator indoctum doctumque fugabit. Væ tamen illi
 erit, quem arripuerit, nam illum occidet legendo, & ve-
 lud hirudo cuti adhærens, nunquam nisi faciatus &
 cruore plenus te dimittet.

Annotations.

Natura fieret laud. Hanc quæstionem sic dissoluit
 Cicer. pro Arch. Ego multos homines excellenti animo
 ac virtute fuisse sine doctrina, naturæ ipsius habitu pro-
 pe diuino, per se ipsos & moderatos & grauis extitisse
 fateor: etiam illud adiungo, sæpius ad laudem atque vir-
 tutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse
 doctrinam. Atqui idem ego contendo: quum ad naturā
 eximiam, atq; illustrem adcesserit ratio quædam confir-
 matioq; doctrinæ, tunc illud nescio quid præclarum ac
 singulare solere existere. Hæc & alia Cicero ibidem: sed
 ille loquitur de singulari & eximia natura, quæ raro in-
 uenitur. Quare Horatianum præceptū vtilius & verius.

Nolito aduersus tibi fact. Ordina: nolito tibi duce-
 re plenum lætitiæ ad carmina facta. Nā factos tibi, id est,
 à te, inauditum est in sermone Latino. Semper enim Da-
 tius acquisitionem significat, nec vnquam à verbo, aut
 à nomine regitur. Vide Mineruam.

Et

Q. Horatij Flacci

Et male tornatos incudi reddere. Sugillari audio Horatium, quod ex alia in aliam transcurrat translationem à torno ad incudem. Quintilian. lib. 8. cap. 6. Nam id quoque in primis est custodiendum, vt quo ex genere cœperis translationis, hoc desinas. Sed Horatius non miscet translationes: nam argentarij olim, & ego in Pincia sum expertus, torno & incude vtēbantur.

Inuitum qui seruat idem facit occidenti. Quoniā Horatius imitari Græcos gaudet, quod & aduertit Quintilianus, hoc loco Græce dixit: idem occidenti, id est idē facit ac si occideret. Græci dicunt ταυτὸ ἐκεῖνω, id est, idem illi, hoc est cum illo. Sic etiam aliquando Latini hoc nomen idem, datiuo iungunt. Lucret. in fine primi. *Adde Heliconiadum comites: quorū vnus Homerus Sceptra potius, eadem alijs sopitus quiete est.*

Ouid. in Ibin.

Vtq; duobus idem dictis modo nomen habenti.

Sententiam vero Horatianam clarius expressit Seneca in Thebaide.

Occidere est, vetare cupientem mori.

F I N I S.

b 1580298x →